

munem habet, Rachab pro meretrice idolo sacra habenda est: quod cum veritate congruere vix videtur. Non equidem negamus, scorta apud gentiles fuisse, quorum flagitioso ministerio cultum Deastris præstari posse putarunt. Vide hac de re in Gronov. Antiqu. Græc. Vol. VII. Josephi Laurentii Tract. Cap. III. Dilherri disputat. Academic. Tom. I. p. 166. 167. Spenzerum de Legibus Judæorum ritualibus Cap. XXII. Lib. II. At enim vero ejusmodi scorta Hebræis vocantur קדשורה non זונה, uti Spencer. c. l. ad Deut. XXIII, 17. prolixè docuit: *Verbis קדש ו קדשה, inquit, non scorta vulgaria, questus aut voluptatis solius cupidine corporum suorum copiam facientia prohibentur: sed scorta (quæ vocant) sacra, fædo alicui Gentium Numini dicata, & turpitudinem omnem in illius honorem exercentia.* His gemella vid. in subsequentibus ibidem. Vocem קדשורה ita quoque reddit Selden. de DIS Syris Synt. II. 2. inquit: *Ulti Phegorio numina sacerdotes sive meretrices ei sacratas קדשורה Kedeshoth dictas vult B. Hieronymus; ita huic Deæ Astartæ, Luco, sive Ashera קדשיה Kedeshim antistitum ordinem fuisse autumo, & ut illud meretrices, ita hoc scortatores interpretatur.* Cum itaque Rachab non dicatur קדשה, non video, cur a propria vocis זונה, significatione recedere velimus. Porro ex Simonii sententia sequitur, vocem Chaldaicam פתר קרתה scortum idolo sacratum denotare, cui tamen & vocis origo & constans ejus significatio renititur, nisi Chaldæum ignorantia accusare, eumque hebraicum זונה non intellexisse, affirmare velit. Nec valida sunt, quæ ex domo ad portam sita, ejusque a parentibus separata habitatione infert. Pauperes enim parentes sordida & vilia vitæ genera permittere & sæpius permisisse, notum est.

§. XI.

Omnibus itaque perpensis, quæ vocis זונה, Pondekitha & πόρνις significationem dubiam reddunt, ea nobis placet sententia, quæ adductis vocibus meretricis significatum tribuit. Non diffitemur quidem, quod Rachab nostra tam urbis incolas, quam peregrinos hospitio exceperit. Hoc enim ad inhonestum

il.